

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
ERNESTVS  
FRIDERICVS  
WERNSDORFIVS

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS ALVMNORVM  
REGIO. ELECTORALIVM EPHORVS  
INSTITVTVM

FRIDER. GOTTLOB PFRETSCHNERI


DRESENENSIS LL. CVLTORIS  
EX LEGATI A FEMINA ILLVSTRI  
VIDVA SCHVTZIA NATA GERSDORFIA  
RELECTI LEGE

ORATIONEM  
MAIORI IN AVDITORIO HABITVRI

A. D. XVII. CAL. MAL. A. R. S. MDCCCLXI

CIVIBVS  
ET STVDIORVM FAVORIBVS

COMMENDAT



*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen III.  
de originibus iterum Alamannicis.*

VITEBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE AUCTORIS.





**Q**uod nuper contra opinionem ceterorum  
variis idoneorum scriptorum auctoritati-  
bus docuimus, vt dubitari porro non  
conueniat, auctorem primum acti cir-  
cum decumates agros limitis Traianum  
fuisse; aliunde quoque, si recte calculos subduxerimus, confirmabitur. Si enim TACITVS, quem haud alio sub principe, et quidem altero eius in consulatu, librum de Germania composuisse, e c. XXXVII. manifestum est, iam eum norat, et pro parte prouinciae istum imperii sinum habitum esse, testari poterat, qui vix initia Hadriani vita attigit, vt a LIPSIO docte ostenditur; qua ratione homines eruditissimi hunc demum operis fundamenta iecisse collegerint, non liquet. Traianum praeterea plura trans Rhenum, more loquendi Romano, quam successorem Hadrianum, gessisse, ex antiquitatis testimoniis intelligitur. Nam PLINIUS paneg. c. IX-XIV. grauis auctor est, ipsum sub Domitiano iam ex Hispania ad compescendos Germanos euocatum, tam praeclare res gessisse, vt et adoptatus nomen Germanici Roma missum acceperit, verosque triumphos meruerit, et obsides acceperit, non emerit, atque ferociam superbiamque barbarorum, Danubii accolarum, ex proximo auditus, magno terrore cohibuerit. Quod vero IDEM iter a Pyrenaeo per Alpes ad Rhenum illum confecisse, clarissime indicat, et eodem tempore, quo in proximo fuit, feras gentes Danubium gelu  
con-



concretum transire fuisse veritas; satis erit perspicuum, quando istud castellum in solo Alamannorum, a suo nomine adpellatum, de quo in superiore specimine egimus, extruxerit. Accedunt in vicinia viarum, ipso iterum consule, reparatarum monumenta antiqua, quae post alios profert, et praeclare exponit SCHOEPFLINVS Alsat. illustr. T. I. period. Rom. c. XVI. Imo, ut illud quoque addamus, MARTIALIS l. X. epigr. VII., ubi vota concipit, pro celeriore Traiani, imperium adepti, aduentu, expresse nobis scripsisse videtur:

*Nympharum pater amniumque Rhene,  
Quicumque Odrysiis bibunt pruinas,  
Sic semper liquidis fruaris undis,  
Nec te barbara contumeliosi  
Calcatum rota conterat bubulci;  
Sic et cornibus aureus receptis,  
Et Romanus eas utraque ripa:  
Traianum populis suis et urbi,  
Tybris te dominus rogat, remittas.*

Quod enim Rhenum utraque ripa Romanum ire vouet, quid aliud arguit, quam Romanae ditionis, quae Danubio et Rheno antea terminabatur, aliquid tunc demum factum fuisse? De qua autem regione, quam agris decumatibus his, qui id conuenientius interpretabimur? TACITVS enim, cuius opera pleraque Germaniae magnae, seu more Romano loquendi, transrhenanae, memoratu digna cognoscimus, primus illos sic prodidit, ut



eius demum aetate innotuisse adpareat. Quid?  
quod scribendi libellum de Germania sub II. Tra-  
iani consulatu non potior caussa fuisse videtur,  
quam studium nouo principi placendi, cuius ista  
expeditione Germanica interiora sint notitiae pa-  
refacta? Intra limitem vero agrorum decumatum,  
vt agriculturam maxime exercitam fuisse, nemo du-  
bitauerit; ita pasturae tamen quis negligi potuisse  
rationes sibi persuaferit, qui vnum alterius ope  
egere, vt maxime, intelligat? Et in hunc diem vbi  
opimiora, quam in sedibus veterum Alamannorum  
pascua? Ergo magnam vim habet imago poëtica  
de cultoribus agrorum decimas frugum, qui rarus  
et adstrictissimus exactiois modus est, in prisca A-  
lamannorum sede soluentibus, si *bubulci* dicantur,  
quorum *rota barbara Rhenum conterat*. Neque  
enim alia loca illa fertilissima circum Hercyniam sil-  
uam erant, quae infedisse Volcas Tectosages et  
Rauracos e CAESARE ostendimus. Et vt dica-  
mus, quid nobis videatur, plane et sine fuce, quos  
inter conditores gentis Alamannicae referendos  
putamus, hos eosdem Tectosages haud alia ratio-  
ne *paganica nomina*, (haec enim proba et vetusta  
scriptura est,) AVSONIVS in Narbonis encomio  
v. IX. adpellavit, quam ob agricolationis et pastu-  
rae studium, ipsis prorsus peculiare. Cognata enim  
vocabula sunt, *colonus*, *pastor*, *bubulcus*, poëta-  
rum certe lingua; et CAESAR l. I. de b. Ciu. c.  
XXXIV. simpliciter primum *colonos* Domitii, na-  
uibus



uibus impositos, vocat, quos eosdem deit. c. LVI  
distinctius *colonos et pastores* memorat. Ita nimi-  
rum, perditis egregiis scriptoribus, qui res Neruae  
Traianique cum cura persecuti erant, sagacibus  
coniecturis inuestiganda sunt, quae ad instauran-  
dam antiquitatis memoriam perducant, vt aliud  
agentium testimonia ad faciendam veritati inuen-  
tae fidem conquirantur. Possimus etiam, si id  
nunc ageretur, ad vindicias explicationis loci Au-  
foniani *paganica numina* Panum, Siluanorum, et  
Faunorum, quorum in tutela agricolae non minus,  
quam pastores, esse sunt crediti, addere; nisi plane  
confideremus, peritos antiquitatum per sese intel-  
lecturos, quibus potissimum stabilimentis nitamur.  
Nihil autem simile de Hadriano legimus, qui ne  
Germanici quidem nomen retinuit. Ita sane limi-  
tis auctor primus vel castelli indicio, quod dein-  
ceps luculentius confirmabitur, Traianus fuerit;  
licet Hadrianus munimenta eius amplificasse, exi-  
stimari queat. Plurium enim monumentorum in-  
scriptiones, repertae intra istum, vt et nummi, vi-  
ris doctis, vt ab ipso coeptum opus coniicerent,  
persuaserunt. Satis autem in confesso est, curam  
Germaniae Hadriano ante alia fuisse, vt tamen,  
pacem desiderans, bellum solum ad nec opinata  
praepararet. Nam praeter istas antiquorum mo-  
numentorum reliquias, e quibus AVENTINVS,  
DOEDERLINVS, et SCHOEPLINVS terras huius  
limitis eo imperante in ditioe Romanorum fuisse,



euicerunt, clarum est SPARTIANI, testimonium,  
qui in eius vita c. X. e Galliis in Germaniam ipsum  
transiisse, pacis magis, quam belli cupidum, et resti-  
tuisse disciplinam, exercendo militem, quasi bellum  
immineret, refert. Hanc Germaniam, vt de trans-  
rhenana, quam veteres vocabant, accipiamus, effi-  
ciunt ea, quae idem SPARTIANVS inferius c. XII.  
de illo prodit: *Germanis*, scribens, *regem dedit*.  
Hoc enim in Germaniis, prouinciis Romanis, vix  
accidisse concesserit, qui attentius perpenderit scri-  
ptoris huius narrationem, e qua satis intelligitur,  
Hadrianum, prouincias peragrantem et praesidia in-  
struentem, istud in transitu fecisse. At cui potius  
genti tunc regem dare potuisset, quam Marcoman-  
nis et Quadis, quibus in ista veluti fronte Germa-  
niae, quatenus Danubio ab Hermunduris ad Mar-  
signos, Gothinos, Osios, et reliquos Pannoniae  
confines pergebatur, hoc vero est in Raetiae et No-  
rici vicinia, ad suam aetatem reges mansisse ex Maro-  
bodui et Tudri genere, tunc vero externos etiam im-  
positos, testatur TACITVS Germ. c. XLII? Acce-  
dunt nummi, rerum in Raetico limite ab illo ordi-  
natarum indices verissimi, in quibus eques, quod  
peregrinationis per prouincias argumentum est,  
ac milites adloquens, conspicitur, et inscriptio le-  
gitur: EXERCITVS RAETICVS: qualem profert  
ANGELONVS Hist. Aug. in Hadr. n. XXVI. Ita-  
que illa etiam, quae ante mentionem regis, Ger-  
manis dati, verbis proximis SPARTIANVS memo-  
rauit



rauit, recte a viris eruditissimis, ad quos prouocauimus, ad huius limitis munitionem adcommodantur; licet coniecturam ex solis nummis et lapidibus illic repertis ceperint. Scribit autem historicus: *in plurimis locis, in quibus barbari, NON FLUMINIBVS, sed LIMITIBVS diuiduuntur, stipitibus magnis in modum muralis saepis funditus iactis atque connexis, barbaros separauit.* Nemo enim in hunc diem vestigia certiora eiusmodi operis, alibi ab eo suscepti, monstraerit; si praesertim reputes, quae modo de ipso Raetiam et Germaniam intra Rhenum et Danubium visitante plana fecimus, et quibus cum conspirant, quae SPARTIANVS c. X. curiose de industria, qua rem militarem correxerit, exsequitur. Quam operosus enim in securitate imperii firmanda fuerit, adparet, quod post Caesarem Octavianum labantem disciplinam incuria superiorum principum, retinuit, ordinatis et officiis et impendiis, teste SPARTIANO l. I. seu AVRELIO, quem dicunt VICTORE epit. c. XIV. n. II. *Officia sane publica et palatina, nec non militiae in eam formam statuit, quae paucis per Constantinum immutatis, scriptoris huius aetate, perseverauerant.* Et UT HIC quoque antea retulit, adstipulante, qui EVTROPII historiam postea ex aliis auctoribus interpolauit: *Ad specimen legionum militarium fabros, perpendicularatores, architectos, genusque cunctum exstruendorum moenium seu decorandorum, in cohortes centuriauerat.* Imo, quum eodem SPARTIANO rursus auctore




auctore, *triclivia de castris, et porticus, et cryptas, et topiaria, diruerit*; quis non agnoscat in statua haec et praetenturas circa limites potissimum conuenire? Quod ipsum, vt et de genere operis, paulo luculentius posthac exponemus, quando in vsum huius limitis et varia nomina atque fata insecutis temporibus inquiremus. Nunc suffecerit, Traianum auctorem, Hadrianum instauratorem et ornato- rem, sinus huius imperii, et prolatorum circa Raetiam terminorum, monstrasse; per quos vero auctus et consummatus fuerit limes, et muro de- mum inclusus, ordine propediem exsequemur.

Quae apud nos religione et vitae sanctimonia, quan- tum nobilitate sua, inclaruit, quamdiu vixit illustris matro- na, SCHVTZII Viri generosissimi, militum in exercitu re- gio tribuni, coniux, gentis GERSDORFIAE, vt liberalita- te sua post fata etiam honestarum artium cultoribus pro- desset, alicui studiis dedito certum aliquot annorum in academia, tanquam Musarum in castris, stipendium vi- dua iam constituit. Id qui nunc capit, FRID. GOTT- LOB PFRETSCHNER, Dresenensis, LL. cultor, virtu- tibus ornatissimus, vt legi, in testamento adiectae, satis- faciat, et studiorum, in quibus totus versatur atque in- genium praeclarum rei p. praeparat, specimen edat, a. d. XVII. Cal. Mai. orationem habebit, de summa sapientia principum, qui innuriri bellicis laudibus pacem bello anteponunt. Argumenti illustris dignitas, oratoris gra- tia, mos et instituta academiae ab humanitate et elegan- tia vestra, CIVES, facile, vt confidimus, imperrabunt, vt concursu et audiendi studio testemini, quali erga litte- ras animo sitis. P. P. a. d. XVII. Cal. Mai. A. S. R.

c1c lccc LXI.






RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
ERNESTVS  
FRIDERICVS  
WERNSDORFIVS

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS ALVMNORVM  
REGIO. ELECTORALIVM EPHORVS  
INSTITVTVM  
FRIDER. GOTTLQB PFRETSCHNERI

DRESENENSIS LL. CVLTORIS  
EX LEGATI A FEMINA ILLVSTRI  
VIDVA SCHVTZIA NATA GERSDORFIA  
RELICTI LEGE

ORATIONEM  
MAIORI IN AVDITORIO HABITVRI  
A. D. XVII. CAL. MAL. A. R. S. CIOIO CCLXI  
CIVIBVS  
ET STVDIORVM FAVTORIBVS  
COMMENDAT



*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen III.  
de originibus iterum Alamannicis.*

VITEBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLQB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A. T. X. S.

